



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ Paderbornensis

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Tit. VI. De Regularibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013

candem minuant neq; antequam legitimum Inventarium confectum fuerit, ex illoq; constiterit, quod hæreditas omnibus debitis solvendis sit sufficiens, vel minutissimam etiam summam in cuiusvis quantumvis privilegiati debiti solutionem absq; Ordinatione Vicarij nostri exponant, contravenientes ad restitutionem factarum non necessariarum expensarum & pecuniæ cuiusque creditori solutæ teneri, & ultra multam ijsdem pro qualitate transgressionis infligendam opportunis juris remedijs volumus compelli.

6. Cùm non rarò inter Executores defunctorum Pastorum & successores lites discordiæq; ratione redituum orientur, pro ijsdem tollendis ordinamus, & statuimus, ut pro ratâ defevitionis de re ditibus & obventionibus participant, cùm operarius mercede suâ fraudari non debeat, computabitur itaq; annus fixorum redituum tam frumentariorum quàm pecuniariorum à festo Michaëlis usq; ad idem festum anni proximè sequentis, Executores usq; ad diem trigesimum obitûs, proviso intereâ per qualificatum Pastoratu de consensu nostro pro ratâ temporis proportionabiliter reditibus fruuntur, reliquum successori assignabitur.

17. Quoad agros eorumque culturam ordinamus, ut successor omnes impensos sumptus æstimatione eorundem per impartiales factâ accuratè solvat, quod si renuat aut non possit, Executores Messe fruuntur, successori ratione temporis quo defervivit assignatâ & solutâ parte Canonis, qui præstaretur, si essent elocati agri.

18. Quoad prata, si quæ sint, ordinamus, ut is fœno fruatur, qui à festo SS. Philippi & Jacobi usq; ad finem Julij defervivit, si inter illud tempus quis moriatur, tùm Executoribus, tùm successori pro ratâ fœnum cedit.

T I T U L U S V I.

De Regularibus.

I.

Regulares omnes in Domino horramur ac monemus, ut secundùm vocationem suam Regularum Sanctorum Patrum dignè ambulent, alijsq; lucis exemplum præbeant; decreta item summorum Pontificum præsertim Bullam GREGORII XV. quæ incipit, Inscrutabili: Diligenter observent, benedictionem & approbationem Concionatorum suorum & Confessariorum petant, & sine illa nullum exponant & decretum INNOCENTII X. quoad approbationem in singulis Diocæsibus necessariam observent.

2. Clausuram Monialium tanquam præcipuum conservandæ integritatis virginalis medium maximopere Concilium Tridentinum ac summi Pontifices ordinarijs locorum etiam sub obtestatione divini Judicij & interminatione maledictionis æternæ commendatam esse volunt. Quocircâ salutis nostræ memores cupientesq; à Nobis avertere divinæ ultionis vindictam præcipimus in virtute S. obedientiæ, omnibus Sanctimonialium Monasteriorum Superioribus, Commissarijs ac Visitationibus, ut in omnibus Monasterijs sibi subjectis clausuram accuratissimè observari curent, nec ulla monialis sine nostro in scriptis obtento consensu è clausurâ ad visitandos cognatos aliave negotia tractanda egredi præsumat.

3. Omnibus ac singulis Sanctimonialibus juxtâ Caput 11. Sess. 25. Concil. Trid. facultatem concedimus, ut annuatim bis vel ter extraordinarijs Confessarijs veluti nostris Missionarijs confiteri valeant, nec ullus Superiorum earundem huic Ordinationi obistere audeat.

Hæc ad brevem Instructionem universi Cleri sufficiant, quæ aliaque in sacris Canonibus sanctisque Scriptoribus latius perlegenda, qui ea servârint, pax super illos.

